

Letter 83: 4 March 1521, Basel, Nicolaus Michael Araclunus to Capito

The manuscript of the letter is in the Archive Municipale, Strasbourg, AST 40, # 55, fol. 431.

Ex re ipsa intelligo, vir humanissime, grato animo nullum incommodum usu venire posse
acerbius quam si iis, quibus immensam debeat gratiam, ne mediocrem quidem referendi suppetat
facultas. Id quod mihi in te prorsus evenit cuius ego, cum divina merita animo complector,
complector autem assidue, dispicioque anxius si qua forte possim tantam tuam in me
5 humanitatem reponere, si non ex aequo, id quod sperandum mihi non est, at saltem aliqua ex
parte; toties fatis meis irascor maleque precor quae me hac conditione nasci voluerint ut
summam tuam humanitatem experirer, remetiri vero quod accepissemus ne minima quidem ex
parte possim. Qua quidem una in re fortunae iniquitatem mihi gravem sentio, ingensque intimo
10 pectori oboritur aestus, cum et ardet animus referre beneficium simulque occurrit et quam sit
exiguum, quod mea possit tenuitas et quam immensum quod tuae teneor humanitati, qua ita in
me hominem ignotum ac numquam a te visum usus es, ut ne in fratrem quidem potueris
officiosius. Itaque quid debeo video, quanquam ne id quidem satis animo consequor, nedum
verbis. Nonne de mea fortunula quae perquam tenuis est, ac pene nulla tuae benignitati remetiar,
15 cum praestantius sit quod in me contulisti quam vel Croesus ipse, si universas opes exhauriat
suas, par esse possit, vel si animam pro te exponerem ulla ex parte tuae humanitati solvere
possim? Verum scio te tam hac gratia non egere quam ego referre non possim, sed interdum *bene
egisse gratias*, ut ait Seneca, *retulisse est*: siquidem Aeschynes grata, modestaque oratione
Socratem sibi devinctiorem reddidit quam Alcibiadis animo liberalissimo pares divitiae. At his
20 quoque quam sim impar agnosco, propterea quod tanta tua sunt in me merita ut quantavis
dicendi copiam superent neque quisquam tam magnifice dicere possit quod non ad tuam
humanitatem exile videatur. Tum ea est mea infantia, ut ne mediocres quidem materias possit
dicendo aequare; ea quoque est ingenii tui elegantia, ea iudicii acrimonia ut illi nisi perpolitum
exactum exquisitumque nihil queat satisfacere. Quare cum utroque modo vincar, id quod unum
25 est opis meae facere nunquam desinam: nempe memi nero, amabo, agam pro viribus, ut ingratus
omnino videri non valeam. Optime vale. Basileae in Cartandi nostri aedibus, quarto nonas
Martias. Anno M. quingentesimo vicesimo primo. Nicolaus Michael Araclunus totus tuus.